

ad omnipotentiam Dei confugere. Non quaeritur, quid Deus possit, sed quid velit. Et addimus: Non potest, quia non vult. Alium enim instituit ordinem. De miraculis breuiter respondeo: Non affirmat vox diuina Christum ingressum per ianuas aut exiisse per lapidem, nec omnes ex veteribus hoc ita exponunt. Dicitur enim stesisse in coetu discipulorum ianuis clausis et mulieres inuenisse lapidem reuolutum. Sed, sicut sumus beneuoli, largiamur hoc illis, quid inde extruitur? An corpora tunc amisisse suas dimensiones? Nequaquam. Sed mutatam qualitatem texturae in corporibus, id est ex denso factum esse rarum vt posset cedere, sicut aer circumfusus cedit nostris corporibus et tamen corpus est. Ita aut aqua desiit tunc esse mollis aut corpus Christi ponderosum, vt posset retineri in sphaera aeris supra aquam. Fortassis etiam corpora beatorum, quae vox diuina comparat coelestibus, mutata illa materia terrestri, ferentur sursum et tamen corpora erunt. De igne Babylonico hoc tantum addo: Ignis ille reuera calidus erat in sua substantia, nam alioqui ignis non fuisset.<sup>202</sup> Sed hic respectus extrinsecus ei adimebatur, videlicet, ne posset vrere corpora Hebreorum. Quare haec exempla plane nihil eos subleuant. Conclusio igitur nostra haec est, quia Deus in sua voce vtitur nostris vocabulis et vult sese intelligi. Vox diuina autem et antiquitas consentientes restantur Christum retinuisse corpus verum cum necessariis proprietatibus corporis.

[67:] Ideo execramur confusiones Eutyichianas eorum, qui vel semper vel in hac duntaxat actione attribuunt Christo corpus spoliatum omnibus proprietatibus corporis, quod nullas habeat dimensiones, quod sit vbique et cui proprietates soli diuinae naturae propriae realiter impressae sint. Declaratio nostra haec fuit: Corpus definitur esse substantia, quae habet dimensiones longi, lati et profundi. Perinde igitur sicut sermo diuinus aquam nunquam nominat ignem, ita nunquam nominat substantiam spiritualem corpus, quia Deus verax est. Testimonia huius propositionis de veritate perpetua naturae humanae supra recitata sunt et, si fortasse crambe recocta eos explere posset, repeto hoc quod est illustrissimum. Sicut Christus argumentatur: Haec massa habet proprietates corporis, ergo est corporea,<sup>203</sup> ita ego induco: Ista substantia, de qua loqueris, nullas habet proprietates corporis. Ergo non est corpus. Meminerimus etiam dictum esse ab Augustino, cum qui spacia corporum tollit, corpus sustulisse, neque tamen Augustinum blasphemum esse.<sup>204</sup> Sed in epiloquo huius disputationis hortamur rursus saniores colligant sese et agnoscant quam turpiter sibiipsis contradicant. Corpus Christi, inquit, sacramentaliter, id est vere et substantialiter vnitum est pani, vere et substantialiter praesens est sumentis in vsu. Extra vsum institutum, extra illam actionem eo modo praesens non est. Iam quaeso te, annon est haec circumscriptio vel inclusio localis vel temporalis? Sumentis cum pane praesens est, non sumentis

<sup>202</sup> Vgl. Dan 3,27.

<sup>203</sup> Vgl. Lk 24,39.

<sup>204</sup> Vgl. Augustin, Sermo CCLXXVII, in: PL 38, 1264.